

quibus certo constat adjectas Ecclesiæ fuisse consecratae, an vero in omnibus Ordinis Coenobiis, etiam si Ecclesiæ adnexae non sint consecratae?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescripsere: „Juxta Votum ipsius Caeremoniarum Magistri“ videlicet:

„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam“.

Atque ita servandum mandarunt. n. 4821 ad 1. die 23. Sept. 1837.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dupliciter Ecclesiæ Dedicationis Officium aut Festum considerari potest; quum nempe Ecclesia solemniter consecratur et cum dies hujus consecrationis recurrat. Prima vere dicitur estque Consecratio seu Dedicationis, altera, quae singulis annis recoli solet, est anniversaria Dedicationis olim peractae memoria. Utraque, licet una minus alia majus proprie, Ecclesiæ Dedicationis appellatur, et sic duplex est Dedicationis Officium. Alterum, quod semel tantum peragitur, alterum, quod quovis anno, ea ipsa recurrente die, celebratur, et est anniversarius dies dedicationis. Jam si Officium dedicationis, quod celebratur singulis annis, est quaedam et vera anniversaria memoria Ecclesiæ jam peractae semel consecrationis, requiritur fieri non posse Officium dedicationis Ecclesiæ, quae non est consecrata; quod enim numquam peractum est, numquam pariter recoli potest tamquam peractum. At in Ecclesia non consecrata alterius Ecclesiæ consecratae fieri potest anniversaria memoria sive Sacrum de illius consecratione peragendo, sive Officium persolvendo, quemadmodum evenit in unaquaque Dioecesi, in cuius omnibus Ecclesiis etiam non consecratis fit Officium dedicationis Ecclesiæ Cath., ut patet ex

Decretis S. R. C., et ex Rubrica, quæ in Missali in Missa Anniversarii dedicationis Ecclesiæ Orationi secretae praefixa videtur: *Extra Ecclesiam ipsam dedicatam omittitur Parenthesis*: Quod in his ex lege et Decretis ac Rubricæ dispositione fit, fieri potest in Ecclesiis, quibus a S. Sede privilegium est concessum Officium nempe peragendi de Dedicatione alterius Ecclesiæ vel aliarum simul sumptuarum Ecclesiarum. Jam quum inclitus Ordo B. M. V. de Mercede privilegio gaudeat peragendi Officium de Dedicatione Ecclesiarum totius Ordinis, jure hujusmodi Officium fieri potest, et nihil impedit, quominus fiat in iis Ordinis Ecclesiis, quae consecratae non sunt, sive Ecclesia non consecrata non est impedimentum ad illud peragendum; nam non de illius consecratione memoria agitur; semper autem Officium facit de Ecclesia, quod ex vi privilegii facere potest, semel ac de Dedicatione Ecclesiarum sui Ordinis peragit Officium, et quum in privilegii concessione nulla ponatur distinctio, nulla pariter ponenda est pro illis Coenobiorum Ecclesiis, quae consecratae non sunt. Privilegium autem non Ecclesiis singularibus, non singularibus Coenobiis, sed universo Ordini datum est, atque hinc omnibus ejusdem Ordinis Ecclesiis est commune. Quibus perpensis S. C. negative primæ parti, affirmative alteri parti hujus dubii respondit.

Ad dubium: An in omnibus Coenobiis, sive certe sciatur, sive non sciatur dies consecrationis, vel dedicationis Ecclesiæ, persolvit beat Officium consecrationis die decima Octobris fixa assignata pro Festo Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis ritibus praepositi . . . rescripsere:

„Juxta Votum ipsius Caeremoniarum Magistri“ videlicet:

„Affirmative, seu jam provisum in primo“.

Atque ita servandum mandarunt. n. 4821 ad 2 (vd. pag. 442); die 23. Sept. 1837.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

In hujusce dubii solutione haec advertere necesse erat. Si certe sciatur aliquam Ecclesiam non esse consecratam, vel jure de consecratione dubitetur, hujus quidem Ecclesiae dedicationis Officium fieri nequit. Sic statuit S. C. Non ita tamen si constet de Consecratione, consecrationis vero dies ignoretur: tunc enim Ecclesiæ consecrationis Officium peragi debet, et eo die ad hoc assignato, nisi postea per documenta delegatur verus consecrationis dies, tunc enim in hoc est peragendum. In casu proposito nec certo constat Ecclesiæ omnes non esse consecratae, nec jure dubitari potest de consecratione omnium Ecclesiarum Ordinis simul sumptuarum (ad quod peculiariter privilegium concessum est); hinc jure fieri Officium potest ab omnibus ejusdem Ordinis Ecclesiis. His addendum est quod quum privilegium complectatur dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis, fierinequit, ut rationabile oriatur dubium de dedicatione omnium, et admitti debet aliquas esse consecratae, quod sufficit et hinc fieri debet Officium, et eo die (per doctrinam superius allatam) cui illud est assignatum nempe die X. Oct. quum hic dies sit assignatus, nec diversimode constet.

Quum vero fiat Officium de dedicatione omnium Ecclesiarum simul Ordinis, alterum propriae Ecclesiæ consecratae Officium alio die fieri nequit; nam eo die, quo fit de dedicatione omnium Ecclesiarum Ordinis, intelligendum est fieri etiam de dedicatione propriae et singularis Ecclesiæ; omnes enim pariter in Privilegio com-

prehensae censentur. Alias de una eademque Dedicatione bis fieret Officium, quod non debet omnino. Una enim et sola est Anniversaria Dedicationis memoria. Patet itaque sapienter respondisse S. C. affirmative, seu jam provisum esse in praecedentis dubii responsione.

Ad dubium: In Terris haereditariis Austriae celebratio Dedicationis Metrop., vel Cath. Ecclesiæ una cum Dedicatione omnium Ecclesiarum tum Secularium tum Regularium Dom. III. Oct.; et sic in Directoriis Dioecesani notatur: „Officium de Communi cum comm. Eccles. respective Metrop. vel Cath., mut. Ant. V. cum Orat. Deus qui invisibiliter, et Dom. in utrisque Vesp. et Laud. et Missa. Et agitur ubique cum solemnitate externa, ornantur Ecclesiæ, in turribus vexilla in signum Dedicationis exponuntur, et omnes conciones fiunt de eadem solemnitate. Submisse itaque rogamus, si nobis ex benigna concessione S. R. C. liceat in praedicta Dominica celebrare Dedicationem Ecclesiarum nostræ Congregationis etiam in Choro cum commemoratione respectivæ Cathedrales. Nam semper timenda est Ordinariatus, cuius censurae nostrum Directorium subjacet, exprobatio, quia exceptionem facimus a communī lege sine dubio ab Apostolica Sede adprobata totius Austriae, Styriae, Tyrolis.

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Pariter pro gratia in omnibus“.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Patribus Cong. SS. Mi. Redemptoris extra Italianam, et in Dominiis Austriacæ Domus degentibus. n. 4842 ad 2 die 1. Sept. 1838.

Decretum in Mechlin. die 1. Sept. 1838 praescribit ut Sacerdotes nulli vel non consecratae Ecclesiæ adscripti, propter uniformitatem Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum ce-

lebrent cum Octava ut in Cathedr. et in civitate Mechlin. Petitur, ut propter eandem rationem extendatur hoc decretum ad Dioeces. Brugensem? S. C. resp.: Pro gratia ad instar concessio-
nis factae Clero Mechlinensi die 1. Sept. 1838. n. 4897 ad 4 die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: 1. An Religiosi cujus-
vis Ordinis, qui dedicationem omnium
suorum Ordinum Ecclesiarum celeb-
rare possint et debeant ad instar Cleri
Saecularis dedicationem omnium Hi-
berniae Ecclesiarum celebrare absque
speciali Sedis Apost. Indulto, et quatenus negative, stante cujusvis longi
temporis consuetudine, tuto possint
Regulares praedictam omnium Hiber-
niae Ecclesiarum dedicationem in
posterum celebrare?

2. Utrum Regulares, qui Sedis Apost.
Indultum impetraverint dedicationem
omnium Hiberniae nec non suorum
Ordinum Ecclesiarum celebrandi, pos-
sint et debeant dedicationem quoque
Ecclesiae Cath. illius, qua degunt,
Dioecesis, absque Sedis Apost. spe-
ciali Indulto, celebrare, quum Clerus
Saecularis, ut jam dictum est, dedica-
tionem omnium Ecclesiarum Hiberniae
quotannis celebret?

3. An teneantur vel possint praetera
Cleri Saecularis Sacerdotes, et
alii propriae suae Ecclesiae dedica-
tionem celebrare, sive Cath. illa sit, sive
quaevis alia?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum cen-
suerunt:

„Juxta votum Magistri Caeremonia-
rum in omnibus“ videlicet:

Ad 1: „Pro nunc nihil innovetur“.

Ad 2 et 3: Dilata, et ad Mitem. Mens autem est ut per S. C. de Prop-
aganda Fide scribatur Archiep. Dub-
linensi et Tuamensi, nec non Ep.
Galvaniensi per modum Instructionis,
qua dicatur ad eamdem S. C. perla-

tum esse in eorum Dioecesisibus praeter Festum dedicationis omnium istius Regni Ecclesiarum, quod habetur Dom. II. Oct., celebrari etiam diem anniversarium consecrationis propriae Ecclesiae Cath., et quatenus ita se res habeat, hujusmodi morem consonum non esse et Decretis S. R. C., et ipsi rationi, eo quod propriae particularis Ecclesiae Dedicationis Officium intelligitur comprehensum, et celebratum in Festo consecrationis omnium Ecclesiarum, ac propterea eamdem S. C. vehementer optare, ut praedictum Officium Dedicationis propriae particularis Ecclesiae ex Kalendario proximi anni expungatur“.

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt, die 16. Apr. 1842. n. 4941 ad 2. 3. 4.

Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci.

Ut uniformitas servaretur in Divini persolvendis Laudibus sanctum est ab hac S. R. C. ut uno eodemque die, nimirum IV. Nonas Julii, Officium institueretur Dedicationis omnium Ecclesiarum trium Ordinum S. Francisci. Ast quum in Ordine Divini Officii reperiatur adnotatio quaedam, nimirum: in Secreta Missae omittenda esse verba inter parenthesis comprehensa, quoties Ecclesia aliqua non sit consecrata; hinc hodiernus Guardianus Ordinis Reformatorum S. Francisci Civitatis Venusin. eamdem S. R. C. requirit humillime pro declaratione in sequentis Dubii, nimirum: An IV. Nonas Julii instituendum sit Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, quum constet illam consecratam fuisse VI. Idus Oct. 1728. qua quidem die celebrandum esset quotannis Festum Dedicationis sub ritu duplicitis I. Cl. cum Octava? Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die

coadunali, infrascripto Secretario re-
ferente, animadverentes ab hac S.
Sede id consilii potissimum ceptum
fuisse, ut uniformitas induceretur in
Kalendario Seraphico, rescribendum
censuerunt: „Officium dedicationis pro-
priae Ecclesiae faciendum die IV. Julii“.

Atque ita servandum mandarunt, die
23. Maii 1835. n. 4749.

b) Translatio.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (transl.)

Juxta decr. die 21. Junii 1804 pre-
scribitur, ut Anniversarium Dedicationis Ecclesiar. omnium consecratarum
celebratur dominica, quae subsequitur
diem octavam festi omnium SS.; in-
terdum die ista dominica occurrit
festum s. Martini vel s. Patroni et
Titularis Ecclesiae aut Patroni loci;
decretem vero de die 21. Aug. 1688
statuit festum Patroni et Dedicationis
esse ejusdem dignitatis: petitur ergo
de quo faciendum sit Officium? S.
C. resp.: Faciendum de dedicatione in
casu juxta decr. die 8. Aug. 1643 ad
III. et festum Patroni transferendum
juxta rubricas. n. 4897 ad 5 die 12.
Sept. 1840.

Ad dubium: Juxta Decretum cl. m.
Cardinalis Caprara, si solemnitas trans-
lata Festi Patroni et Anniversarium
Dedicationis omnium Ecclesiarum con-
secratarum occurrant eodem die, fa-
ciendum est de Solemnitate Dedica-
tionis. Hinc queritur:

1. An ita faciendum sit si in istam
Dominicam Dedicationis incidat non
Solemnitas translata, sed Festum Pa-
tronii?

2. An in isto casu cantari possit
Missa votiva Solemnis Patroni juxta
Rubricas Missalis Romani de transla-
tione Festorum? Hic enim Articulus
Missalis enumerans dies privilegiatos,
qui excludunt Missam Votivam Festi,
quod transferri debet, non recenset

inter eos Anniversarium Dedicationis
Ecclesiae.

3. Supposito quod ita fieri non
possit, an ita dicendum sit de Eccle-
siis non consecratis?

4. Supposito etiam quod in omni-
bus respondendum sit negative, de-
misce obsecratur, ut ad gloriam Pa-
tronorum nec non ad gaudium populi,
qui summa veneratione hos Sanctos
colit, in casibus supra enunciatis can-
tari possit Missa Votiva Solemnis Pa-
tronii, translata ad Dominicam sequen-
tem Solemnitate Dedicationis?

S. eadem C. . . . rescribendum
censuit:

„Quoad quaestionem primam affir-
mative; quoad quaesionem secundam al-
firmative; non exclusa tamen alia
Missa Solemni de Festo Dedicationis,
si sermo sit de Ecclesia ubi est obli-
gatio cantandi Missam quotidie juxta
Decretum in una Bergomen. dici 17.
Aug. 1709.; quoad quaestionem 3. et
4: Provisum in secunda“.

Atque ita rescriptsit. n. 5215 ad 1.
die 22. Julii 1855.

8) Ecclesiarum plurim in una die.

Cum autem Dedicationes Ecclesiarum
nostrae Provinciae diebus Dominicis,
iisque ut plurimum valde incongruis
celebrentur, nos infrascripti Provin-
ciales et Definitores nostri demisse
supplicamus E. V., ut dignentur unam
et eamdem diem assignare pro uni-
formi celebratione Dedicatione omnium
Ecclesiarum hujusce Provinciae No-
straee Leodiensis: dies autem ad hoc
convenientissima videtur aut 26. Fe-
bruarii, aut Dominica secunda post
Pascha.

In pluribus Dioecesisibus Galliae om-
nium fiunt Ecclesiarum Dedicationes
eodem die, ut cum majori devotione,
solemnitate ei uniformitate celebren-
tur, quam eamdem gratiam ab E. V.

humiliter postulamus iisdem de causis pro Dedicatione omnium Ecclesiarum nostrorum Conventuum Provinciae Leodiensis, et, ut nunquam omittatur haec celebratio, ut non raro accidit, cum tempore, quod deberet celebrari Ecclesiae alicujus Conventus Dedicatio, saepe saepius fiant nostrae mutationes capitulares, et sic transeuntes Religiosi de Conventu, in quo proxima est Ecclesiae Dedicatio, ad alium, in quo jam celebrata est, teneantur, ut se conformare possint aliis Religiosis in recitatione Officii illud Dedicationis omittere hoc anno, quod advenientibus iisdem mutationibus annis sequentibus, ut potest fieri, fere semper omittent. Et eadem S. R. C., Emo. et Rmo. D. Card. S. Clementis referente, respondit: „Negative“. n. 3763 ad 7 die 19. Febr. 1707.

9) S. Mariae Angelorum.

Vd.: *Indulgencia de Portiuncula* (decr. n. 4048.)

10) Oratorii.

(*Utrum celebrandum.*)

Cf.: *Oratorium.*

In Ecclesiis et Oratoriis Ecclesiae parochiali subjectis, in quibus multi Sacerdotes quotidie celebrant, non possunt celebrari missae Titularis et Dedicationis sub eodem ritu dupl. ac in Ecclesia parochiali. n. 4844 ad 8 die 23. Febr. 1839.

Missionarii in Hollandia et confederatis Provinciis habentes tantum Oratoria, Ecclesiis jam profanatis vel destructis destituti, non possunt annue recitare Officium Dedicationis cum octava. n. 3089 ad 1 die 2. Junii 1685.

11) Vexillum in signum Dedicationis.

Vd.: *Dedicat. Eccles. omn. alicuj. Ord.* (decr. n. 4842.)

DEFECTUS IN ORDINATIONIBUS.

Vd.: *Subdiaconatus; Ordin. ad Presbyt.; Diaconatus.* (tradit. libri Evang. decr. n. 4813.)

DEFUNCTUS.

Depositio.

1) Locus.

Vd.: *Commemor. Omn. fidel. Def.; Off. Def.; Processio funebr.; Sepultura; Sepultura (Sacerd. def.; Episcopi def.); Cadaver.*

Ad dubium: An haeredes sint cogendi ad retinendum domi cadavera usque ad sepulturam, an iisdem liceat pro libitu asportare cadaver ad quacunque Ecclesiam usque ad horam tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu parochi seu prohibitione ab eodem facto uti Vicario Foraneo? S. C. resp.: Petita et etiam non obtenta licentia posse cadavera depone arbitrio haeredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturae. n. 2733 ad 1 die 22. Junii 1675; n. 4316 ad 3 et 4 die 7. Maii 1763 *cum append:* Et parocco deberi ratione ejusdem depositi intortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit.

Posse deponi cadavera in quacunque Ecclesia arbitrio Testatorum vel Haeredum. n. 3522 ad 3 die 11. Julii 1699; n. 3690 ad 3 die 7. Junii 1704; n. 3881 ad 2 die 14. Decb. 1715.

Ad dubium: An haeredes defunctionum cogi possint ad retinendum domi cadavera usque ad tempus sepulturae, sive eorum libitu, petita et non obtenta licentia parochi possint eadem deponere in aliqua Ecclesia, usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepelientem? S. C. resp.: Ad primam partem negative, ad secundam affirmative. n. 3722 ad 12

die 9. Maii 1705. S. C. C. 14. Mart. 1722; 6. Febr. 1734.

Ad dubium: An volentibus haeredibus facere dictum depositum, teneantur illud privative facere in alterutra ex duabus Ecclesiis parochialibus terrae Montis Novi, sive potius possint illud facere in quacunque Ecclesia? S. C. resp.: Ad primam partem negative, ad secundam affirmative. n. 3722 ad 13 die 9. Maii 1705. Et ibidem ad 14: „Depositum fieri posse in quacunque Ecclesia, arbitrio haeredum.“

Praetendente Curato Ecclesiae S. Luciae Terrae Montis Alboddi Dioecesis Senogallien, occasione funerum, Haeredes non habere facultatem faciendi depositum defuncti in Ecclesiis sibi bene visis; ex parte Guardiani et Patrum Minorum Conventualium nomine Vicarii Foranei et civium Terrae praedictae S. R. C. pro declaratione: An arbitrio Haeredum defuncti depositum sit faciendum in quacunque Ecclesia? humillime supplicatum fuit. Et S. eadem R. C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, respondit: „Dentur Decreta in Senogallien. 22. Junii 1675, et pariter in eadem causa 9. Martii 1706“. n. 3854 die 1. Julii 1713.

2) Modus.

Nullo modo est tollerandus abusus, quod mortui curru clausi deferantur ad Ecclesiam. S. C. Ep. 17. Mart. 1650.

3) Tempus.

Cadavera in quacunque hora diei deferri possunt ad Ecclesiam, de nocte vero non nisi de licentia Ordinarii. S. C. C. 15. Mart. 1704 (et Clem. XI. 9. Decembri 1704). Vd.: *Sepult. (Tempus).*

Cum in Oppido Trepani Dioeces. Mazarien irrepsisset abusus collocandi

Deinde — Dennd. altaris.

cadavera Archipresbyterorum defunctionum occasione funerum, induta pluviale in sede, secus vero in feretro, ut prescribit Rituale roman., S. C. resp.: Non licere et servetur Rituale rom. n. 4043 die 21. Apr. 1736.

DEINDE.

(*In form. Absolutionis.*)

Vd.: *Absol.* (A peccatis.)

DELEGATIO.

(*Ad benedict. Indumentorum etc.*)

Vd.: *Benedictio* (Delegatio).

DELEGATUS APOST.

Vd.: *Installatio novi Canonici* (decr. n. 4274).

DENUDATIO ALTARIS.

1) Fer. V. in Coena Dom.

Ad dubium: An fer. V. maj. hebd. teneantur Canonici post vesperas ad denudationem altar. procedere, seu potius fieri debeat denudatio per Episcopum celebrantem eique assistentes? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 4235 ad 8 die 15. Sept. 1753.

Ad dubium: Utrum iditem ferendus sit usus, ut post Vespertas Feriae V. in Coena D. denudatio Altarium fiat per simplicem Sacerdotem Superpelliceo et Stola indutum cum duobus Clericis Superpelliceo pariter indutis, non vero a Celebrante cum Ministris, ut in Missali indicitur?

Et S. eadem C. rescriptis:

„Servari posse consuetudinem: dummodo Sacerdos Altaria denudet Fer. V. in Coena D.“.

N. 5118 ad 3 die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Coena Dom.* (Processio; decr. n. 4647 nota).